



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

vt angeli hos homines circudent. 32

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

Qualiter homines isti nouem angelorum
ordinibus circundantur, & in diuinam
libertatem introducuntur.

Cap. XXXII.

DEnique in hoc iam gradu perfecte ascen-
derunt homines illi supradicti per tertiam
scalam, Christi videlicet spiritum in
vitam superessentiali, per quam Deo simillimi
efficiuntur, et a tertia vndique angelorum hierarchia
circundantur. Etenim primae hierarchiae
spiritus, corpus in vita actiua custodiunt in triplici
gradu, in timore videlicet, amore & dilectione: idque
per vitam & passionem Christi. Secundae hierarchiae
spiritus, animam in vita spiritali custodiunt: & hoc
similiter in triplici gradu, in humili videlicet patientia,
contemptu sui ipsius, & omnium sensualium rerum, & patienti
introuersione: idque per animam Christi. Tertiae
hierarchiae, spiritus in vita superessentiali ac deiformi
custodit, aequae in tribus gradibus, in diuina
videlicet vnione, clara cognitione, & charitatis
feruore: idque per spiritum Christi. Et per haec
intimus interior, & exterior homo deiformis
efficitur, & in Christum Iesum transformatur,
circundatus vndique nouem angelorum ordinibus,
qui simul cum ipso ambulant in conspectu
altissimi Dei. Hoc igitur pacto exercere quisque
debet in seipso praefatos hos nouem virtutum
gradus, qui totidem in homine loca habent, in quibus
auxilio sanctorum & angelorum proficere
debet, atque per Christum Iesum ascendere, qui
has easdem virtutes in seipso exercitavit, & per
fectissim.

LIBER II.

fectissime habuit : qui nobis factus est via , per quam ambulemus , & scala , per quam ascendamus , videlicet ad superbeatissimā Trinitatem , et ianua vitæ , per quam ingrediamur : idque per potentiam & auxilium patris , sapientiam filij , amorem & gratiam spiritus sancti , & operationem indiuisæ & supersanctissimæ Trinitatis & essentialis vnitatis . Et sic vnus cum Deo spiritus efficietur .

Qualiter homines isti a Deo dotentur .
Cap. XXXIII.

MUltum profecto amorose homines isti a summo bono , Deo videlicet optimo maximo suscipiuntur , atque in regnum ipsius introducuntur , non tantum in mortis articulo , sed ex hoc iam tempore . Quando enim taliter sibi ipsi mortui sunt , & vita eorum in Christo Iesu abscondita est , solusque in eis Deus viuit , tunc eis in anima regnum cœlorum aperitur , & ipsi in spiritus arcana introducuntur , in illud videlicet tertium cœlum , in quo se sanctus Paulus fuisse describit , quando Deum essentialiter vidit , & in quo Christus ipse suam continue diuinitatem contemplabatur , & ea in spiritu fruebatur , ambulans in cœlis inter angelicos spiritus , quando corpus & anima ipsius in grauissimis erant pœnis distenta in terris . **I**ntelligat hæc bene fidelis lector vt intelligenda sunt . Ideo namque sortiti sumus intellectum , vt per ipsum veritatem cognoscamus intelligamusque . Sciendum itaque est , quod anima est imago Dei & beatissimæ Trinitatis habitatio , in qua Deus continue moratur . Cor vero & corpus temporalia sunt vasa lutea ,

R ij tea,